52834/1,0

DE
INNOCENTII X.
PONTIF. OPT. MAX.
EXTREMO MORBO
ET MORTIS GENERE
Epiſtolaris Narratiuncula.

ROMÆ, Typis Reu. Cameræ Apoſt. 1655.

Superiorum permiſſu.

SUPPL-P /ALI

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

M. Anania Epiſcopus Sutrinus, & Nepeſinus Viceſg.

Reimprimatur.

F. Raymundus Capiſuccus Ord. Præd. Sac. Apoſt. Palatij Mag.

TYPOGRAPHVM LECTORI.

CVM hanc Epiſtolam, quæ caſu in meas manus incidit, Sapientiſſimi Viri publica luce dignam eſſe cenſuerint, dedi operam, vt ſtatim in lucem ederetur: nempe Reipublicæ Chriſtianæ non parum intereſſe putaui vt anilia commenta ſupremo afflicta Pontifici, deque illius extremo morbo & obitu diſſeminata, hoc veritatis radio diſſipentur: vnum mihi gratulari poſſum, Typos meos ita veritati addicto eſſe, vt fabulas erubeſcant: itaque Epiſtolarem hanc narrationem, quantumuis vni dumtaxat inſcriptam, omnibus communem eſſe volui: Prudentes Viri meum conſilium probabunt; de alijs parum ſollicitus viuo, ac ſpero, fore, vt optimi quique, fruſtra licèt liuore rigente, aliquid gratiæ mihi habendum eſſe exiſtiment: Vale.

CLARISSIMO VIRO
DESIDERIO EVANDRO
Germanus Alithinus. P. S. D.

DE INNOCENTII X. Pontificis Opt. Max extrema ægritudine, & mortis genere, varij falſique rumores paſſim circumferuntur, quorum fortè aliqui ad tuas aures peruenerunt, Vir Clariſſime: odium & liuor nemini parcunt; impietas quoque res ſacras attentat: Si hæc Catholicos inter dumtaxat ſpargerentur, minùs ſanè dolendum eſſet; ſed cum per totam ferè Europam deſſeminata ſint, & hæreticis alijſque Sedis Apoſtolicæ iuratis hoſtibus non modicam ſannarum & conuitiorum materiam ſuppeditent: operæpretium eſſe cogitaui, fideli ac ſyncera narratione ea breuiter complecti, quæ à viris omni exceptione maioribus, de morbo & obitu Summi Pontificis accepi, quibus etiam nonnulla ſubnectam, quorum teſtis oculatus fui.

Cœterùm nihil me ſcripturum eſſe profiteor, omnique aſſeueratione affirmo quod à veritate alienum ſit; nec enim, opinor, meliore modo refelli queunt impia illa & pluſquam anilia figmenta, in vulgus per ſummam impietatem ſparſa, quæ vt nonnullis Catholicis ſcandalo, ità hæreticis ludribio ſunt: quid faceres; ea eſt aliquorum hominum ad maledicendum procliuitas, vt ne ſupremo quidem Eccleſiæ capiti canini dentes & viperini fœtus parcere dignentur; ſed ad rem venio.

Cum à Sextili menſe INNOCENTIVS longam traheret infirmitatem, quæ in manifeſtum hydropem degenerabat, ſextas Calendas Ianuarij currenti, ab Illuſtriſſimo Præſule, quo ſacræ pœnitentiæ adminiſtro vtebatur, inopinatè commune factus eſt, de imminente ſubitæ ſuffocatione periculo, quod ſumma vis catarrhi vbertim fluentis inijcere videbatur; hoc nuntio, quod ea qua par erat fronte accepit, minimè perterritus, eidem ſtatim animi noxas aperuit, & ſacræ Euchariſtiæ Viatico, cum intimo pietatis ſenſu, ſub veſperam, ab Illuſtriſſimo Pontificij Sacelli Cuſtode, cui ex officio incumbit, muniri ac inſtrui voluit, ne mors inopinantem & imparatum inueniret.

Poſtero die, à Patre Ioanne Paulo Oliua, Societatis IESV, Pontificio Eccleſiaſte, quem in vltima illa migratione adiutorem ſapientiſſimus ſenex optarat, deſperatæ omnino ſalutis certior factus, eâ, qua par erat animi erga Deum ſubmiſſione, ſupremo eiuſdem numinis arbitrio & voluntati pleniſſimè acquieuit: Benedictus ſit Deus, inquit, cui gratias immortales ago, quod mihi, non inopinatam, ſed præuiſam & cogitatam mortem concedere dignetur, nec non integram intelligendi & cognoſcendi facultatem, qua rebus meis conſulere, & animum ad hunc extremum tranſitum componere valeam, ſæpe ac ſæpius deinceps, eadem ſuæ ad diuinam voluntatem compoſitione, gratoque animi erga Deum affectu, non diſſimilem pietatis ſenſum, nunquam fere ſine lachrimis, expreſſit.

Eodem die, Sacrum Cardinalium Collegium conuocauit, quos inclinata quidem, ſed pia voce, ad conſenſionem animorum, ad diligentem legum, quæ ad Summi Pontificis electionem pertinent, obſeruationem, ad ſeruandum in electionem optimi præſtitum iuramentum, hortatus eſt, monuitque vt depoſitis omnium factionum diſcordijs, honeſti dumtaxat & communis boni, ac diuinæ gloriæ ſtudio tenerentur; nulla gentilium, nulla familiæ mentione facta: plerique lachrymas ad cygneam illam Summi Patris vocem continere non potuerunt, nonnulli vltimum vale dicturi, propiùs ad lectum acceſſere, quorum non neminem appellauit, non ſine laude, eidemque Eccleſiæ dignitatem & libertatem enixè commendauit: demiſſo demum & Chriſtiano animo omnes rogauit, vt ſibi veniam à Deo ſuis precibus obtinerent, ſi fortè aliquid in Eccleſiæ adminiſtratione admiſiſſet, quod vitio illi & culpæ verteretur.

Vltimam vnctionem eodem popoſcit die, cum tamen res non adeò vrgeret, in tertium diem ſacrum illum ritum differendum eſſe cenſuerunt: intereà pijs & ſacris exercitationibus intentus, ſingularia identidem, tum mentis noxarum admiſſarum pœnitentia grauiter affectæ, tum animi Deo in omnibus probè ſubmiſſi, tum omnigenæ pietatis & ardentiſſimi erga ſupremum Orbis moderatorem Deum amoris ſpecimina, non

ſine

ſine magna illorũ qui aderant, approbatione & pia gratulatione exhibuit.

Sed vt charitas etiam erga proximum ſuas partes ageret, ſyncere illi expoſitũ fuit atque oſtenſum, nonnullos ex Purpuratis Patribus eſſe, qui præ inopia, tanti nominis & officij dignitatem ſuſtinere non poterant, niſi centenos menſtruos aureos, in eſcariam annonam, vel in menſam vt fieri ſolebat, ex publico ærario acciperent: rem ille benignè accepit, necnon ea, qua erat, prudentia examinauit, & ſecum ipſe perpendit, antequam petitioni ſubſcriberet, eoque demum prȩſertim nomine acquieuit, quod vel inde Eminentiſſimi Patres ab omni factionum ſtudio diſtraherentur, qui cum alioqui de ſuo viuere non poſſint, annuæ penſionis iure ſe ſe Principibus obſtringere coguntur.

Edixit etiam, idque multiplici paternæ ſollicitudinis inſtantia, vt beneficia eccleſiaſtica, quæ tum vacabant, ab Illuſtriſſimo Datario, Pontificiæ familiæ adminiſtris conferrentur: non decet enim, aiebat, vt eos qui ſupremo Pontifici ſuam operam nauarunt, poſt eius mortem, rei domeſticæ penuria & anguſtiæ, alterius obſequio, & famulatui adſtringant: Sicuti etiam Pium Quintum dixiſſe refert Catena in eius vita; nec inferioris ordinis famulorum immemor fuit, inter quos, aureorum duo millia diſtribui curauit, ne quem deinceps obſequij præſtiti pœniteret.

Duos Cardinales, quos ſingulari beneuolentia haud abs re complectebatur, quorum nominibus parco, aliquot penſionibus Eccleſiaſticis donauit, quamuis illorum alter, inquit, minimè indigeret, quem tamen annuis reditibus pro dignitate officij minùs inſtructum eſſe ſciebat: non leuem denique pecuniæ ſummam faciendis pro ſalute animæ ſacris, alijſque pijs operibus deſtinauit, demandata huius piæ largitionis cura ſapientiſſimo & integerrimæ fidei viro, qui huiuſce negotij executionem ſuſcipere iuſſus, non parere Summo Pontifici non potuit, quàm autem res iſta fideliter ab eo adminiſtrata fuerit, acceptilationum faſcis, quas apud ſe habet abeundè teſtatur.

Cum inter agnatos gentileſque ſuos, aliqua diſſenſionum ſemina eſſe intelligeret, bis omnes accerſendos eſſe putauit, eoſque coram ad pacem & concordiam, rerumque mortalium & caducarum contemptum, paterna oratione hortatus eſt, & priſtinæ gratiæ, qua fortè exciderant, penitus reſtitutos, non ſine intimo humanitatis ſenſu & manantibus lachrymis dimiſit: denique ne quod pij officij genus prætermitteret, Cubicularios ſuos veniam rogauit, ſi quid fortè per ægritudinem & impatientiam, ſeu dicto, ſeu facto hactenus peccaſſet, quod ijs vel minimam ſcandali, aut ſiniſtræ opinionis occaſionem attuliſſet, quæ res, ne quid amplius dicam, in hoc Pontifice, non leuis momenti cenſeri debet.

Cum ſemel coram eo res ſacra fieret (ſingulis autem diebus, ad vltimum vſque obitus diem fieri iuſſerat) dum Sanctiſſimum Chriſti Domini

Corpus

Corpus iuxta ſacrum ritum, à faciente attolleretur, operto ipſe capite, pijſsima ſacram Hoſtiam oratione compellauit, quod reuerà ſumma laude dignum eſſe puto, in eo præſertim, quem ſolidioris quidem; ſed non mollioris pietatis affectuſque hominem, vulgus eſſe credebat.

Extrema vnctione ab eodem Illuſtriſs. Sacrarij Magiſtro munitus fuit, dum autem ſacrum hunc ritum obiret, ad ſingularem pietatem & modeſtiam ſe ſe compoſouit; ſolemnem fidei profeſſionem, tacto, vt fieri ſolet, Sacro Euangeliorum codice, moribunda voce, ægrè licet & difficulter emiſit, porrectamque Chriſti de Cruce pendentis imaginem tenerrimo cum affectu excepit, lachrymis humectauit, & ſuauiſſima oſcula fixit, exinde vero de nulla re ampliùs ſecum agi voluit; quæ ad ſalutem animæ non pertineret: ſequentibus autem diebus, in ijſdem pij s affectibus ſe ſe exercuit; Crucem à ſe nunquam diuelli paſſus eſt, in quam oculos identidem conuertebat, eamque manibus ſtringebat, pectori admouebat, oſculis, vt ſic loquar, fatigabat, vno verbo, nemo maiorem in eo pietatem deſideraret.

Per multos dies, nihil ferè alimenti glutire potuit, debilitata ſcilicet gutturis & faucium virtute, immo non paucis ante diebus, cum deſperata ſalus adhuc non eſſet, dum ab eo, cuius partes erant, aliquid ſorbendum apponeretur, tantam in hac naturæ functione difficultatem ſentiebat, vt frons & caput per ſummam vim, ſibimet illatam, copioſo ſudore manarent.

Cum per biduum ab alienata mente fuiſſet (pariunt enim vt plurimum extremi morbi delitia) inopinatè ſui compos factus, ad intermiſſa pœnitentiæ ſigna redijt ſacram confeſſionem popoſcit, ſuggeſtam perfectæ contritionis, vt vocant, formulam, capitis inclinatione, oculorum nutu, pijs oſculis Chriſto de Cruce pendenti preſſe infixis, quæ vberes lachrymæ humectabant, frequenti demum pectoris percuſſione approbauit, & cum verbo non poſſet, tot piarum actionum ſignis recitabit, ſed tandem in hæc verba erupit, quæ vix per ſummam debilitatem proferre potuit, adhærere, inquit, Deo bonum eſt, Bone Deus, nunquam à te diſcedam: per integram horam in mentis poteſtate fuit, quo tempore, præfata pietatis exercitatione vſus, ſacramentalis abſolutionis iterum ac tertiò beneficium accepit: tunc autem in plures aderant circa lectum, genibus omnes flexis, qui ſuis lachrymis & gratulatione, tantum pietatis ſplendorem, & tam ſingulare Deo beneficium proſecuti ſunt: exin vix ampliùs ſui compos, nullum aliud verbum protulit, niſi quod cum frequentiſſimo gemitu, Deum ſæpius appellauit.

In magna certè laude conſtantiſſima Optimi Pontificis patientia ponendũ eſt; cum enim per vndecim & ampliùs dies, grauiſſima ægritudine laboraret, & acutiſſimis doloribus torqueretur, nullum illi verbum

excidit, quò hæc minus patienter à ſe ferri ſignificaret; nullum iræ, in tanta morbi acerbitate, nullum impatientiæ locum præbuit, à gemitu dumtaxat non abſtinuit, ſcilicet innocentiſſimo miſerorum ſolatio, Deum identidem appellans, cum tantis doloribus ſe imparem eſſe ſentiret: quod autem acerbiſſimi dolores extiterint, vel ex eo perſpicuum fit, quod maximus illius corporis tractus liuidum liuorem contraxiſſet, vt multi poſt eius obitum obſeruarunt.

Ad extremum vſque terminum vitæ, miniſtrorum obſeruantia & officia nunquam illi defuerunt, nemo maiorem in ijs diligentiam & fidem deſideraſſet: moribundum etiam flexis genibus obſeruarunt, & quod omnem pene ſuperat fidem, Eminentiſſimi Principes frequentes adfuerunt, ſupra viginti aliquando numeraſſes, in multam noctem ſedentes in procœtio, vel anteriore cubiculo, ne quid honoris & obſeruantiæ, gratique animi erga ſanctiſſimum Patrem ab ijs omiſſum eſſe videretur.

Hinc manifeſtæ falſitatis damnandi ſunt, qui finxerunt, INNOCENTIVM à ſuis deſtitutum fuiſſe, eius argenteam ſupellectilem exportatam, vix laneis ſtragulis tectum manſiſſe, cum ſerica detracta eſſent, ſed apage huiuſmodi fabulas, perſpecta & luculenta veritas eſt, cuius oculati, omnique exceptione maiores teſtes fuerunt: Et verò non modò à ſuis deſtitutus non eſt, ſed multi etiam non morienti modò, verùm etiam vita functo adſtiterunt, ne vel minimum erga ſacrum cadauer officium omitterent, in quo ſanè Pontificiorum munerum adminiſtri, præſertimque Illuſtriſſimi Pontificiæ domui Præfectus, Sacrarij cuſtos, cubiculi Magiſter, Confeſſarius, & reliqui à rebus cubicularibus, nunquam ſuam operam deſiderari paſſi ſunt.

Itaque nullo penitùs ſubſidio carere viſus eſt, quod ad ſalutem, tum animi, tum corporis pertineret, ſæpe ac ſæpius ſolemni ritu illæ preces recitatæ ſunt, quibus agentes animam Deo commendantur, idque non modò ab Illuſtriſſimo Apoſtolici Sacrarij Cuſtode, verùm etiam à tribus Eminentiſſimis Cardinalibus, quorum vltimus, Eminentiſſimus ſcilicet Chiſius eidem ſtatim poſt obitum, proprijs manibus, depreſſis palpebris, oculos clauſit; igitur illius profectio, ſeu migratio omni piorum officiorum genere adornata eſt, nec multorum lachrymæ defuerunt, quas tum eius pietas, tum dolorum, quibus afficiebatur, acerbitas expreſſit.

Quid plura, die ſeptima Ianuarij, cum deficienti catarrho, febris, quæ priùs non acceſſerat, paucis ante horis, ſucceſſiſſet, integris adhuc ſenſibus, vt creditur, cum minimum adhuc extremi digiti appulſum ſentiret, ſenſim tamen ſine ſenſu deficiente pulſu, cum productiore anhelitu, piè animam efflauit, hora decima quarta & quadraginta circiter minutis: quod autem ſenſu adhuc præditus eſſet, vel inde concludo; cum enim pridie eius mortis, iam iam animam acturus eſſe videretur, & non nemo

adſtan-

adſtantium pias aliquot voces, vt fieri ſolet, ingeminaſſet, apertis ſtatim oculis, hominem intuitus, nullum dubio locum reliquit, quin ſentiendi facultate adhuc polleret.

Poſt aliquot ab obitu horas, cadauer exenteratum eſt, vt pro more, balſamo & aromatis, aduersùs fœtorem condiretur: manifeſtum hydropem Medici obſeruarunt; viſcera in qua natabant, pulmo nigris maculis diſtinctus erat, vitiatum omnino iecur, alter renum ſemiuſtus, cyſtis fellis ſolito maior, duos calculos, iugulandis magnitudinem, nutriebat: cerebrum multam aquæ vim effudit: cæterùm in defuncti vultu, illa dumtaxat mutatio viſa eſt, quod leniore forma eſſet: nempe obductus ille mortis pallor, demiſſis præſertim palpebris, ſeueriorem illum, quem natura dederat, aſpectum temperabat.

Duo ſunt, quæ tacere non poſſum, quæque miraculi fere loco habeo, cum enim ex Quirinali, poſt alteram noctis horam, in Vaticanum cadauer, lecticæ impoſitum, deferretur, tanta vis imbrium repentè ingruit, vt alterum diluuium inſtare videretur, non ſine frequenti ventorum turbine, fulgurum iactu, tonitru fragore: vbi tandem in Vaticanum ventum eſt, cadauer, quod madidum ac imbre perfuſum eſſe credebatur, probè ſiccum inuentum fuit, licèt pedes extra lecticam ad duos palmos excurrerent, ſubtili velo dumtaxat operti; at ne gutta quidem pluuiæ calceos aut ſacram veſtem humectauit.

Alterum eſt, quod cæteris omnibus facibus, tum ventorum, tum aquarùm vi, per viam extinctis, vnica tamen ſemper inextincta remanſit, ne ſine luce funus maneret: Quod certè diuino imperio & nutu factum exiſtimarem, ne in Chriſtum Domini & ſacras exuuias cœli inclementia vllam poteſtatem haberet.

De reliquis exequijs, nihil eſt, quod dicam, cum ſit communis Pontificij funeris ritus: quare finem dicendi, atque ſcribendi faciam, atteſtans iterum, nihil penitus eorum, quæ à me ſcripta ſunt, eſſe, quod cum veritate apprimè non conſentiat: immo, quod omnium ferè Cardinalium & Præſulum Curiæ (vt innumeros fere alios, etiam exteros omittam, multis enim Pontificium cubiculum diu, noctuque patuit) teſtimonio probari non poſſit, quibus cum nefas ſit detrectare fidem, inde ſanè affictæ calumniæ & impia commenta ſatis, ſuperque refelluntur: Vale: Scribebam Romæ ſexto Idus Ianuarij ann. 1655.

F I N I S.